

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Humilitas I  
cum fonte primo

Humilitas sola est obseruatrix custosque uirtutum,  
et nichil est quod ita Deo gratum faciat et hominibus,  
quam si uite merito magni, sed humilitate infimi uideamur.

Ieronymus super Mattheum XIX.

Nihil habeas humilitate praestantius nihilque amabilius;  
haec est enim praecipua conseruatrix et quasi custos quaedam uirtutum omnium.  
nihil est, quod nos ita et hominibus gratos et deo faciat,  
quam si uitae merito magni, humilitate infimi simus.

Hieronymus Stridonensis, *Epistulae*, 148.20 (CSEL 56, I. Hilberg ed., p.346,  
ll.12-15).